Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 613
Quelle:
Copyright:

Armario ſeu Scrinio, Librorum Cuſtos, ſeu Tabularii Praefectus, ſive Secretarius Monaſterii, item Cantor, qui Libros Chori promat). *Wirnt diaconus. Herbordus ſacriſta. Seculares uero. Meinhardus de nideke. Rudegerus. berhardus. Erniſt. Hiltiprandus. omnes de wiſelberch. Wikerus de Laibach. Hartmannus de Rifenſtaeyn. et alii quam plures nobiles et mediocres.* Codex igitur Coenobii *Sitticenſis* Ord. *Ciſt.* in *Carniolia* fuit, cujus Abbas II. *Aliprandus*, dictus etiam, ut alio Codice *Auguſtinum de Civit. Dei* continente notavi, *Folknandus*, praefuit inter annos 1150—80.

CCCVII.

R. 7 Codex membraneus lat. Sec. XV. tripartitus Foll. 405. quorum 139. Partem I. 105. Partem II. 161. Partem III. conficiunt, f. max. elegantiſſime perſcriptus, titulis litera unciali diverſicolore auroque ſpecioſus, varia D. *Hieronymi* complectitur Opera, donoque oblatus eſt *Carolo* VI. Imp. a Viro eruditiſſimo *Apoſtolo Zeno* a. 1723. dum Poetam, Hiſtoricumque Aulae Caeſ. ageret. *Fol.* 1. legas: *Vt Ordo In Epiſtolis Beati Hyeronimi Habeatur. Tripartiendi Sunt. Primus Contineat Epiſtolas Ad Viros Deſtinatas. Secundus Epiſtolas Ad Feminas. Tercius Epiſtolas Et Tractatus Invectivarum. Et Hoc Ordine Sunt Famoſiſſimi Libri Sancti Juſtini Padue.* Tà *Sancti Juſtini* merito a manu ſecunda adpicto *e* correcta ſunt; ſermo enim eſt de celebri S. *Juſtinae* Coenobio, cujus Codices *J. Phil. Thomaſinus* in *Biblioth. Patav.* et *Bern. Montefalconius* in *Bibl. Biblioth. Mſſ.* enumeravere. Noſter igitur *Patavii* deſcriptus videtur procurante nobili quodam viro, cujus Inſignia in ſplendide picturatis *Fol.* 2. marginibus comparent: Leo videlicet ruber in ſuperiore campo aureo gradiens, inferiore campo caeruleo Lilium aureum inter duas ejusdem metalli Stellas praeferente. Inde vero ad nobiliſſimam *Mathiae Corvini Hung.* Regis Bibliothecam deveniſſe ex Inſignibus Thecae impreſſis conjicio, rurſusque *Venetias* relatum ab infelici illo *Ludovico Gritto* non indocto homine, quem *Solymannus* captae anno 1529. *Budae* Praefidem impoſuerat. Video enim *Bibliothecae criticae Rich. Simonis* T. III. p. 416. in manibus hujus viri fuiſſe Catalogum mſ. *Manuſcriptorum Hebraicorum et Syro — Chaldaicorum ex Mantua, Budaque Venetias aſportatorum*, ſuſpicorque, *Grittum* neque Graeca et Latina, minime vero Codicem in *Veneta* ditione exaratum neglexiſſe, unde redux per varios, ut fit, caſus in *Zenorum* familiam immigrare potuit. Atque haec conjectare liceat. Et jam ad *Codicis*, cujus Exemplaria *Patavina* neque *Martianaeus*, nec *Vallarſius*, quod ſciam, memorat, interiora veniamus. Titulo ſupra exſcripto ſubjunctus eſt Index *Epiſtolarum* videlicet ad Viros datarum, numero LXXIX. adpoſitis pur-